



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioannis Macherentini Societatis Iesv Theologi,  
Explanatio Catechismi Catholici**

**Macherentinus, Johannes**

**Colon., 1612**

Qvi Es In Cœlis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39397**

in utilitatem communem membrorum Ecclesiæ aliquid singulis conferret. Tametsi, namque ista oratio ( sicut & cæteræ quæ ad Deum funduntur) pro orantibus voluntate & mente, possit quibusuis, etiam ijs qui sacris Christianis non sunt iniciati, applicari, ex se tamen, vique sua ad solam eorum utilitatem refertur, qui in Ecclesia ad communionem Sanctorum pertinent, seu viui illi sint, seu vita functi.

## QVI ES IN COELIS.

*Quid in cœlis Deum esse dicimus, qui natura sua ubique est, nec ullo loco concluditur?*

*Deut. 4.*

*Ier. 23.*

Primo, quia illic cernitur illustrior ipsius operatio, ubi à sanctis videtur & habetur: sicut animæ, quæ per totum corpus diffusa est, dicitur caput sedes vel cor, quod in illis partibus magis vigeant eiusdem potentiarum, & operationes.

Secundo, quod illic humanitatem suam Christus collocarit, ibique sit sedes beatorum angelorum, sanctorumque omnium, qui in cœlis tanquam in aula Dei commorantur.

Tertio, quod in cœlo Deus perfectè regnet, eiisque omnia perfectè obtemperent.

Quarto, de cœlo moderetur hunc mundum,

dum, pluuias dimittens, solis luce, lunæque *D. Aug.*  
splendore terram illustrans, stellarum, cœ*epi. 57.*  
lestiumq; corporum dimissa è cœlo vi, cor-  
pora hæc naturalia efficiens, sanctis angelis  
nostrî curam committens, &c.

*Quare non in cœlo, sed cœlis dicimus?*

Quod licet in beatitudine illa æterna *Ioh. 14.*  
mansiones sint multæ, varijque ordines an-  
gelorum, in omnibus tamen videatur, &  
possideatur Deus.

*Hæc verba cuius rei nos admonent?*

Primò, quoniam pæsto nos ad orationem  
comparare debeamus, vt mentem à terrenis  
ad cœlestia eleuemus, vbi pater noster est,  
quem alloquimur; curasque vanas & inanes  
cogitationes ab animo remoueamus, secuti *Exod. 24.*  
exemplum Moysis, qui ad colloquium con-  
gressumque diuinum venturus, montem  
conscendit, & in nebulam, vt oculis nihil  
terrenum obuersaretur, penetravit.

Secundò, vt magna reverentia tum ex-  
terna corporis, & gestuum, tum interna ani-  
mi Deum precemur; quia pater est, non ignobilis, sed cœlestis.

Tertiò, vt nihil à Deo, nisi quod cœleste  
est, atque ad cœlum nos dirigit unquam pe-  
tamus.

Quartò, quo altius in cœlum ascendat *Luc. 21.*  
oratio, corpus & mentem crapula ne gra- *Rom. 13.*

G 4 uemus,

uemus, sed sobrietatis ac temperantiae studiosi, ad eleemosynam etiam ieunium, velut alteram alam orationi adiungamus.

*Quid ipsis petitionibus complectimur?*

Prioribus quatuor rogamus bona nobis concedi: posterioribus tribus cupimus mala depelli.

## PRIMA PETITIO.

SANCTIFICETVR NO-  
men tuum.

*Quid per nomen intelligis?*

**N**on enim, non dicit hanc vocem, Deus vel aliam quamquam, quæ Deum significet, sed Deum ipsum, Dei potentiam, maiestatem, bonitatem, cæteraque attributa, quæ in Deo colenda sunt & veneratione prosequenda.

*Nomen Dei potest à nobis sanctificari?*

Sanctificari, non est, sanctum fieri, quomodo diem sanctum sanctificare iubemur, quia sine nobis nostraque opera, est sanctum nomen eius; sed sanctum agnosci, laudari, magni fieri; iuxta illud: *Magnificat anima mea Dominum*, qua ratione nomen Dei potest & debet à nobis sanctificari.

LUC. I.

*Quid primum locum obtinet in omni bona oratione?*

Gra-